

AUFSLEGEN
Em
253




Parm. 253


A) Prigenicium, Fr.

subst 21-28 Leichenpräparat

o. Nr 10) Kindorf v. Alvensleben

H 1610







ORATIO FVNEBRIS

VVILHELMO
AB HEIMBURG,

scripta ab
JOANNE CASELIO.



HELMAESTADII,
Ex officina typographica Iacobi Lucij.
ANNO MDCI. CC.



ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ.



Tiam viro nobili, GVLIELMO HEIMBURGIO, extremum honorem habebimus: nec dolor, quē ex amici obitu capimus, nos ab hoc erga defunctum studio retardabit. Moderabimur enim dolori, quantum possumus, ne nosmetipsos plus amasse, quā̄m illum ipsum videamur, cuius sanē̄ consuetudine deinceps, ne quid dissimulem, non satis æquo animo caremus: ex quo nostro affectu & quanti iuuenem fecerimus, & quis ille fuerit, quodammodo intelligi potest. Qui enim bonis sui desiderium relinquit, eum in bonis semper habitum nemo dubitat. Deplorare autem ipsius vicem non possumus, nisi in hac mortalium miseria, (sic enim potius, quā̄m vitam dixerim) omnia posita esse existimemus. Ille superauit, quicquid est laborum, quod superstitionibus exhauriendum restat, & eius animus iam carcere corporis solutus, quiete sempiterna fruitur. Nec verò

verò dolorem nostrum augebo querelis de fragilitate & multiplici, adeoq; perpetua calamitate generis mortalium, quæ non solum in scriptoribus omnium generum & sæculorum, sed in sacris quoq; litteris passim leguntur. Comparatur conditio nostra cum herba, quæ quod die virescat, eodem arefcatur, cum folijs arborum, quorum nascantur hæc, illa decidant, cum vento, qui præteruolet, cum bulla in vndis, cum umbra, cum umbræ deniq; somnio. Hæc & eius generis quamplurima si perscripta non essent, nemo nostrum non ipse facile depromeret, quando, quibus illi, iisdem legibus obnoxij sumus, & aduersus fortunæ insultus & varias vicissitudines, fortassè nec ipsi omnes, nec omni tempore animos nostros satis obfirmauimus. Dolorem autem nostrum modicum, nec mea sententia reprehendendum, auget in animis nostris mœror parentum: præcipuè verò matris lacrymæ. In ijs consolandis consanguinei laborabunt, & deproment certam medicinam ex diuinis oraculis ecclesiæ ministri. Nam quorum hoc munus proprium, illis remedia quòq; tempore in promptu esse oportet. Nec dubi-

A 2

to ve-

to verò, quin ijsdem nostrum etiam studium so-
lacio futurum sit, non tam prædicantium filij
laudes, quàm nostram erga ipsum beneuolenti-
am declarantium. Perscribo namq; hæc non
soliis meo, sed cùm ipsius æqualium, tùm cæ-
terorum familiarium nomine. Nec enim eo-
rum me nemo cum quadam efflagitatione mo-
nuit, vt hac in re me facilem præberem. Facio
quod volunt: nec nolim id vltro facere, si sit o-
tium: occupationes non sinunt, vt faciam, cu-
iusmodi id esse oportere intelligam. Virtus e-
nim HEIMBURGII nostri plenius & perfe-
ctius aliquid postulat: & expectatur à me quid-
dam limatius aut saltem eruditius. Nihil enim
videbor attulisse, nisi sit, quod lectorem erudi-
at vel afficiat. Natum ex ordine equestri vete-
ris nobilitatis, me tacente scitis: id quoq; quam
vim habeat, intelligitis: opinionem habet pro-
fecto maximam. In familia enim, quæ multis
iam sæculis virtutem coluit, vel quauis ætate,
vel ex breuibus interuallis oriuntur viri armis &
consilio clari, qui cùm genti suæ, tùm patriæ de-
cori & adiumento sint. Cum autem in omni-
bus cultis gentibus (apud barbaros enim plæ-
raq;

raq; nobilitas violentia nititur) magna est dignitas nobilitatis, tum nusquam maior à multis iam sæculis, quàm in Germania: & custoditur diligentissimè. Cauetur enim religiosè, ne cum vulgo misceantur, neque nuptias cum inferioribus contrahant. Putant enim inquinari genus, quod verum non negarim, si virtute impares coniungantur. Namq; à plebe semper abstinent: nec amplis diuitijs mouentur, vt pecunia genus donari, vt est in Latino prouerbio, vix aliquis apud nos existimet: cuius improbæ rei exempla in quibusdam alijs gentibus multò plura exstant. Inuidiosum autem videatur, si quis gentibus certarum in Germania prouinciarum plus tribuat, quàm alijs, præsertim quæ matrimonijs æquantur: nec id ego faciam, de quo vulgus audacius pronunciat: hoc fas est dicere, quod ita se habet: prouinciarum Brunsvigensium nobilitatem & vetustate, & opibus, & virtute, & magnificentia, nobilitate reliqua in imperio non esse inferiorem. Etiam constat in nobilissimis familijs esse Heimburgiam & Opperhusiam: de quibus non est instituti nostri, nec genus à multis sæculis texere, nec præ-

conia condere de singulis. Illud est singularis
scientiæ & diuturnæ inuestigationis: hoc ab hoc
loco alienū, cum GVLIELMVM nostra po-
tissimum respiciat oratio. Liceat tamen mi-
hi ex vetustate delibare pauca, quæ partim fa-
ma, partim litteris accepimus. Gentem ipsam
ab arce Heimburga, sita ad radicem Herci-
niæ, nominatam, nemo ambigit. Rudera et-
iamnum conspicua hoc nominis seruant, quæ-
admodum & arcis Registenæ, vtraq; non
procul à Blancoburgo. Cæterum nomen fami-
liæ sub imperio HENRICI IV. natum credi-
bile est, quæ pridem equestris & clara fuerit, o-
pibus verò aucta & honoribus ab imperatore
bellicosissimo. Perpetua enim ille bella gessit,
& bis ac septuagies cum populis ferocissimis
in acie conflixisse scribitur. Heimburgum autē
ab imper. HENRICO IV. conditum, scripti
annales testantur. Vnde conijcio, nec fortè
me hæc coniectura fefellerit: cum viri fortes &
nobiles bonam operam imperatori nauassent,
hunc, vt regum lex est humanissima, ea bona,
quæ possedisse Heimburgios, in confesso est,
in illos munificè contulisse, idq; cum dignitatis
gra-

gradu ampliore. Nam cum hæc ipsa scribe-
rem, monebat me vetustatis rerum Germani-
carum sedulus & solers indagator, Meibomi-
us, in antiquis annalibus Heimburgum nume-
rari in Saxoniae prædijs equestribus, (feuda mul-
tis iam sæculis nominant) quæ Dominia appel-
lantur, quorum dominos illustres haberi, &
Dominos item, peculiari honoris titulo, saluta-
ri, ne populus quidem ignorat. Sed amplitu-
do gentis Heimburgiæ inferioribus sæculis non
minus enituit: quod vt magis intelligatur, non-
nulla repetam altius, quæ perstringam tamen
& breuiter & perspicuè. Agebat hoc olim v-
niuersus orbis Christianus, & cum primis Ger-
mania, vt quæ cætera regna & prouincias am-
plitudine imperij & potentia superaret, vt vici-
narum gentium aut etiam longinquiorum bar-
baris & impijs moribus deletis, paullatim lon-
gius & latius, verus vnius numinis cultus pro-
pagaretur. Ad hoc negotium persequendum
interdum aliæ atq; aliæ fuerunt occasiones. Vt
Liuonia fieret prouincia & colonia Germaniæ,
fecerunt commercia, quæ mercatores Bremæ,
emporij ad Visurgim nobilissimi, habuerūt ver-
sus

sus boream. Illi enim annis abhinc quadraginta quingentis tempestate delati in sinum ad ostium Dunæ, ingrati illius fluuij accolis hospites, quos, vt oritur de aduenis suspicio, pro hostibus haberent. Itaq; etiam armis concursus fuit: sed exploratis vtrinq; voluntatibus cum Liui, quos non video, cur non & Liuonas appellemus, mutuis commodis sibi consulendum censuerunt. In pactis primum fuit, vt illis negotiatoribus pateret pars illius prouinciæ, & ædem sacram in propinqua insula liceret condere. Hinc inter nos quædam consuetudo, & aliqua ad idololatrias religionis sinceræ notitia siue fama. Quæ omnia narrare historix est: nobis initio indicato, sufficit docere, & sacerdotes & milites partim illos populos sub leges & pietatem vocasse, partim inuexisse colonos in Liuoniam, vt à Germanis habitata dominataq; fuerit ad proximum vsq; sæculum. Fieri autem id non poterat absq; consilio & præsidio: simul autem & episcopi alijq; sacerdotes, gentes de Deo erudiebant, & principes ius dicebant, contumaces redigebant in ordinem, hostes sæuissimos à ceruicibus propulsabant.

bant. Illarum copiarum primus dux fuit VIN-
NO, qui idem ordinis magister diceretur: ei suc-
cessit VOLQVINVS: tertius dux fuit HER-
MANNVS FALCO, qui magisterium
ordinis Teutonici iam septem annos gesserat in
Borussia: non vt ille principatus transferretur in
Borussiam, sed magister ordinis Liuonici ita se
magistro ordinis in Borussia subijceret, vt qua-
tuor episcopi Borussiae respicerent ad archiepi-
scopatum Rigensem. FALCONI duplicis
magisterij honore illustri, duci fortissimo & sa-
pientissimo, quem subrogarent illius militiae
principes, nisi ex ordine suo illi omnibus rebus
quam simillimum? Is erat ex nobilissima Heim-
burgiorum familia HENRICVS. Qui
HENRICVM HEIMBURGIVM ma-
gistrum ordinis in Liuonia secundum nomi-
nant, id tempus respiciunt, quo se cum Boruf-
sis sapienti & necessario consilio coniunxerunt:
qui quartum; fortasse rectius, ne suo honore
VINNO, VOLQVINVSq; priuen-
tur, quem perpetua militia, immo vita ipsa
mercatorum legimus. In HENRICO abun-
de fuisse omnia, narrant historiae, firmiorem in

B

eo

eo valetudinem desideratam. Itaq; pro sua prudentia & fide erga fratres, (nam & nomine & vinculo fraterno inter se continebantur) ne quid omnino res Liuonica detrimenti caperet, consilio ordini neq; vniquam deinceps defuit, successorem sibi viribus etiam corporis præstantiorẽ designari omni contentione à fratribus obtinuit. Sic enim sentiebat, eo tempore primùm occupata Liuonia, non solùm aduersus imminentes ex vicinia barbaros, quotidie ferè præliandũ, sed etiam cum illis ipsis, quos sub iugum miserant, quasi luctandum, donec seruituti adsuescerent, & vera religione mansuescerent. Et quidẽ hæc hæctenus, quæ mihi visum fuit attingere, quòd hinc à tot sæculis illustrem esse familiam Heimburgiorum, nemo non intelligit. Nunc ad seriem, ex qua GVILIELMVS est, transeo: atq; hic statim initio apparebit, vt in rebus aduersis virtus etiam illustretur. Sequebatur benè longo interuallo interregnum in Germania, post imp. FRIDERICVM. II. Erat annis pænè triginta turbata & miserabilis facies, & quasi quædam vastitas communis patriæ. Nec enim quisquam paullo potentior officium faciebat, nisi quem natu-

natura ad virtutem finxisset, qui se ab aliorum
iniuria ægrè, vel etiam tueri non valeret: plæriq;
non solum, quos volebant & poterant, acerbo
dominatu premebant, sed quisq; in vicini, vel cu-
iuscunq; fortunas inuolabat, fundos alienos, &
arces, & oppida vi occupabant, vix aliquando
iuris obtenta specie: nec in paruo beneficio po-
nebant, si quos bonis exuissent, eorum vitæ pe-
percissent: nec infelix putabatur, qui fuga salu-
tem sibi inuenisset: atq; tum actū fuisset de im-
perio, nisi R V D O L P H V S I. imperator, vel-
uti nouus sol exortus, recreasset Germaniam.
Illo autem fatali & funesto sæculo H E N R I C I,
quem prædicauimus, fratris filius ANNO, arce
Heimburgo ac cæteris auitis bonis omnibus ex-
utus, ad ducem Othonem Guilielmi F. confugit,
& domicilium ac fortunarum suarum sedem
Cellæ fixit. ANnonis autem virtus ex dignitate
æstimari facile potest. Integerrimi enim quiq; &
fortissimi viri, equites aurati ab imperatoribus
solemni quodam ritu, neq; dum prorsus aboli-
to, sed rariore, declarabantur, quorum præstan-
tia vt in oculos omnium incurreret, vti ipsis cal-
caribus aureis & inauratis armis licebat, quæ

gestare reges solent. Habuit filium sui nominis, nepotem autem non solum nominis, sed etiam dignitatis. Ab hoc ANNONE MARTINVS est, hoc infelicior, quod duobus filijs funus fecit: iterum felicior, quod seni nobilis vxor STEDARIA MARTINVM filium enixa est, cui PVERI cognomen indidere, quod pater ipso infante neq; dum bimestri, ætate graui confectus, decesserat. Venio ad rem propius. HENRICVS enim Martini filius GVLLIELMI abauus erat: auus eius HAINO, qui Hageburgum, Schaueburg. Comitum arcem tenuit. Viderit hinc fortè ludum literarium: sed florente ætate militiam pluribus annis secutus, animum prætereà & linguam expolire, naturâ magis duce, quàm magistris, studebat: cuiusmodi disciplinam probasse & sectatos fuisse Lacedæmonios memorant, Marti deuotos potius, quàm Musis aut Apollini, multi tamen consilij, verborum non adeò prodigus. Eum morem cum grauitate & suauitate tenebat Haino, vt ex vno ab ipso acutè dicto sententiæ multum auditor non stolidus acciperet. Quo nomine omnibus erat commendatior, & cum pri-

gestare
B
mis

mis ADOLPHO & ANTONIO, Archiepp. Colon. itemq; OTHONI eorumq; fratribus Comitibus Schaueburg. multò iisdem carior ob perspectā animi integritatem, in consilijs dexteritatem, in negotijs gerendis fidem & industriam. Nec tamen quis expectet, quod hic requirendum non est, vt de singulis, eorumque vxoribus & liberis dicam: qui nec genealogiam contexere, nec historiam conscribere in animo habeam. Ad omnes totamq; familiam pertinet, quòd semper honorati vixerunt: ad plærosq;, quòd semper ex ijs aliqui amplissimis sacerdotijs fuerunt ornati, quòd paullò inferius denuò attingendum est. Patrem habuit GUILIELMVS MARTINVM HEIMBURGIVM, matrem SALOMEN OPPERSHVSIAM, IVSTI OPPERSHVSII filiam. De maternis maioribus, ero breuior: dicam vnum, in ea familia & ductores copiarum & sacerdotes floruisse primarios, in cathedralibus ecclesijs plures. IVSTVS autē clarum sibi nomen peperit in expeditionibus Hungaricis aduersus truculentissimum Christianorum hostem: in quo bello miles Christia-

nus iustissimè militat, cum summa item laude,
sanctissimoq; conscientia testimonio, vel victo-
ria potitur, vel occumbit: quorum illud spe-
rare, hoc non exhorrescere germani bellatoris
ferunt. Cæterum non fuit quidem in litteris e-
ducatus pater, sed institutus tamen ad virtutem
à puero: cumq; affectaret exemplo maiorum
laudem equestrem; sub primam pubertatem
datus fuit in familiam cognati, IO. BERNE-
R I clari equestrium copiarum ductoris, qui
semper CAROLI V. imperatoris, eiusq; filij
PHILIPPI, regis Hispaniarum castra secutus,
aliquot annis ad Terouanam, Greuelingam &
passim alibi militauit, in bello diuturno & me-
morabili. Nec fuit enim maiorum memoria
memorabili⁹ inter principes Christianos, quàm
quod inter CAROLVM V. imperatorem,
& FRANCISCVM I. regem Gallia
exarserat: quo maius malum publicum in or-
bem Christianum inferri vix potuisse sapientes
senes existimarunt: sopitum siue dilatatum ali-
quoties, renouatum fuit crebrius, reliquæ et-
iam ad posteros translatae. Namque etiam cum
CAROLVS fascibus imperij fratri FER-
DI-

DINANDO, traditis, profectus in Hispaniam, se quieti & diuinis meditationibus tradidisset, non exuerunt hostiles animos HENRICVS II. FRANCISCI F. rex Galliaë & PHILIPPVS, CAROLI F. rex Hispaniaë. Auspicijs primùm CAROLI, deinde PHILIPPI, ERICVS, dux Brunsvigenfis, de cuius humanitate, virtute, sapientia & fortitudine perorandi alius erit locus, alijque Germaniaë principes copias in Galliam ducere soliti, acceperunt prælium ad S. Quinctinum commiserunt cum copijs HENRICI: fusi Galli, victoria cruenta potitus fuit PHILIPPVS. In ea acie cum turmas quoque duceret BERNERVS, qui cum à puero militauerat, stetit & MARTINVS HEIMBURGIVS, magni animi, & viribus præditus iuuenis. Ibidem quoque militauit MARTINI frater, ipso natu maior, HENRICVS, occubuit, non in prælio, quod ipsi erat optabilius, vt cum gloria coniunctum, sed parta victoria, a lui profluuio, quo malo castra miserè tum infecta erant, iuuenis doctus, qui in academijs ob humanitatem & perpetuum litterarum studium doctissimis viris charus fuisse

isse perhibetur: sed ea laude non contentus, militarem quoq; appetijt. Acceperat enim, & rectè sibi persuaserat: doctrinam in bello non minori vsui esse, quàm in otio: cuius rei exempla ex historijs meminerat, quibus ipsum excitatum crediderim. Nec de alijs MARTINI fratribus nihil dicam. Patet autem, quid quantumq; curæ in tot filiorum educatione mater optima Anna Munchusia impenderit. Nam pater filijs paruulis relictis tribus annis ante Quintinianum bellum decesserat. Tertium autem filium, cui LVDOLPHO nomen erat, ipsi ab auo materno inditum, annos vix natum decem ab illo amico eodem BERNERO, viro fortissimo, in Galliam abduci passa fuit, vbi in principis familia, HENRICO II. regi per familiaris educaretur. Eo loco & humanitate & elegantia morum feliciter imbutus, puritatem quoq; Gallicæ linguæ imbibit & copiam. Nam illa cum vberrima sit, tum in regijs quæq; excoli creduntur maximè. Annos ille nouem desideratus: de quo longo iam tempore certus nuncius non venerat, præter expectationem saluus domum reuertitur, quem nec de veste, nec de moribus,
nec

nec de lingua nostratem diceres: ex omnibus tamen signis HEIMBURGIVS agnitus: cum materna lingua ægrè admodum balbutiret, quas puellus degustarat litteras, ad eas reuertitur, non Latinas, sed quæ nostræ gentis sunt, vt & ab hisce hominibus intelligeretur, & quæ de nouo disceret, scriberet, siue quæ oblitus fuisset, annotando plenius perdisceret. Annos autem vnde viginti natus, in regia educatus, in re equestri probè exercitus, equestri loco ipse ortus, deniq; in Germania Saxo, quid præter aulam cogitaret & militiam? Namq; in otio & vino vitam non egerat, quibus fortunatorum non pauci passim gentium pereunt. Fauebat porò fortuna adolescenti, quæ primum ipsum in aula PHILIPPI, Landgraviæ Hessiæ, principis bello & vtraq; fortuna per Europam clarissimi, constituit: & erat iam ille principi & aulæ gratus & ornamento. Euenit, vt GVLIELMVS Auaricus Landgravium inuiferet: atq; huic nota iam ibi omnibus virtus huius HEIMBURGII statim innotuit, cumq; & mores & linguam LVDOLPHI, & in gerendis rebus dexteritatem plus quàm adolescentiæ,

C

tia,

tiæ, mirificè probasset; vix tandem L V D O L-
P H V M à principe P H I L I P P O, cui se ijsdem
animi dotibus, antè deuinxisset, obtinuit. Au-
raico ille magno vsui fuit, sed potissimum in ex-
pediendis negotijs Gallicis. Secuti sunt mo-
tus Belgici, in quibus Gulielmus è Belgio Dil-
lebergam, Nassouicæ ditionis arcem, aulam
transferebat: cumq; postea copias in Belgium
duceret, ei quoque expeditioni L V D O L-
P H V S intererat, acceptaq; ingenti clade ad
Groningam vltioris Frisiæ, vix euasit. Sua-
dentibus porrò amicis, vt eam militiam, quæ
contra tantam potentiam feliciter successura
non videretur, omitteret; ille integerrimi animi
iuuenis, se principem suum, cuius secundis re-
bus vsus esset, in aduersis deserturum negauit:
atq; ad Auraicum reuersus, factus ab eo magi-
ster equitum, cum nonnullis alijs, equestres tur-
mas in Galliam ad Condæum duxit. Audite,
quid fortissimo viro acciderit: videlicet quod
multis mortaliū primæ conditionis euenit. Quis
enim, vt poëta canit, crastinū sibi polliceri pos-
sit? nedum benè cæptorum secundum exitum.
Morbo in finibus Gasconiaë correptus extin-
ctusq;

et usq; est, dici non potest, quantum cum con-
sanguineis & notis omnibus, tum præcipuè ma-
tri, cui olim semel reuixerat, sui desiderium re-
liquerit. Nam si vixisset, clarissimus dux mi-
litiæ futurus erat. Peperit tamen ille sibi non
inanem gloriam, & cum suæ genti, tum nobi-
li iuuentuti exemplum reliquit singulare, quod
in multis æmulentur. Nec reliquit nulla ab
hoc proximus, etsi in primo ætatis flore, cum è
carceribus primùm excurrisset, ANTONI-
VS HEIMBURGIVS, in ipso spatio con-
cidit. Hic longè alio erat ingenio, atq; ille, siue
natura id agebat, siue faciebat educatio, siue
altera alteri in quibusdam præsto erat. Nec
enim spirabat Martem, sed totus erat Mineræ:
tabulis delectabatur, & statuis, & litteris: peni-
cillo & scalpro utebatur inuitante nemine, &
haud scio, an aliquo docente: in litteris erat vt
plurimùm, vtrò quidem, sed esse etiam iube-
batur, & in litteris potissimum erudiebatur.
Non possum non monere, quod me monuere
alij: GVLIELMVM patruo ANTONIO
in plærifq; fuisse simillimum, neq; non id infra
apparebit. Prima autem litterarum elementa

Hannouerae in ludo litterario didicerat AN-
TONIVS: impuberem misit mater Lunæbur-
gum in ludum litterarium, qui ad diuum Mi-
chaëlem dicitur. Est namq; ab hominis me-
moria in illa magnifica vrbe in educatione pu-
eritiæ pulcra æmulatio. Cum enim senatus
ludum litterarium eleganter recteq; institue-
ret, magna discipulorum frequentia, vidit Ab-
bas coenobij amplissimi, ne ludus alter, quam-
uis frequentatus à paucioribus, bonitate cede-
ret alteri. Quæ res tantis viris tantæ curæ est,
eam prædicare hoc minus à me alienum duco,
quantò & magis neglectæ pueritiæ vicem do-
leo, & plus voluptatis ex adolescentum in lit-
teris & moribus profectu capio: quo animo
mei ordinis omnes esse par est, & esse existimo.
Quamuis illic rectè porrò erudiretur, tamen
visum fuit in academiam adolescentulum mit-
tere. Placuit Marpurgum, cum ob vicinitatem,
tùm quòd pædagogium esset ad academiam, v-
bi tirones tenerentur in exercitijs, & in mores
animaduverteretur accuratius. Namq; confir-
mari eam ætatem in doctrina & modestia, re-
ferre quam plurimum omnes iudicant: ni fiat,
nec

nec virtus, nec sapientia in animis hominum ra-
dices agant. Vir doctus & industrius Vulteius
id muneris tum gerebat, cui ANTONIVS
ipfos quinq; annos lubens operam dabat, cum
in vtraq; lingua se multum proficere sentiret.
Nec enim solùm intelligebat scriptores tam
Græcos, quàm Latinos, siue vt plenius intelli-
geret, in id incumbibat, sed vtraq; lingua siue
oratiunculam componebat, siue versus aliquos
ludebat, arbitratus ex hisce lusibus non dubi-
um sibi transitum fore ad seria, etsi scriptiones
quidem ludicras, sed lectionem seriam esse, pro-
bè iam cognouerat, qui ab iuuenta tum abes-
set proximè. Marpurgo domum veniebat fa-
lutatum suos, vt se in academiam Vitebergen-
sem incunte vere conferret, quæ celebritate vin-
ceret vicinas cæteras: ibi dum de persequendis
studijs deliberat, & ad hoc iter se parat, in mor-
bum repentè incidit, atq; in Goltorniano ex-
spirat, omnium cum dolore, sed cum materno
maximè, quæ tertium summæ expectationis fi-
lium amitteret, cuius humanitate & suauitate
ex memoria multiplicis luctus se antè sæpè col-
legisset. Erat in noua spe minimus natus A-

SCANIVS: sed de hoc paullo post plus verbo-
rum faciendū est: matrem consolabatur M A R-
TINVS filius. Est autē nostra ad eum reuocan-
da oratio, & simul ad tempus militiæ Gallicæ. Ex
ea igitur, deposito tirocinio, domū reuers⁹, alte-
rivitæ sese dedit, quæ non manu & armis sed con-
filio & industria potissimum regitur. Contulit se
igitur in aulam Cellensem, ad pium & modera-
tissimum principem, ducem GVLIELMVM:
apud quem semper fuit in gratia, cui quotidie
videlicet in magnis necessarijs rebus magno v-
sui esset: & cum aulicam vitam annos sedecim
coluisset cum laude & beneuolentia bonorum,
bona iterum cum gratia se in suum Goltera-
num contulit. Liberos suscepit vtriusq; sexus
plures, quorum GVLIELMVS natus primus,
quem de se nominari dux Lunæburgensis volu-
it, idemq; parentes probauere. De nato filio
quid aliud caperet consilij vir nobilis & integer,
quàm vt pietatem omni homine & virtutem
nobili genere dignam coleret? Id mandabat
matri, idem nutrici, idem pædagogo: nec mi-
nus hoc agebat ipse. Nam patris oculus in e-
ducatione liberorum valet plurimum: immò
pater

pater gerit illa omnia, per se positis negotijs, per
eos semper, quibus hoc nobile & anteponendū
cæteris, quæ in rem familiarem incidunt, de-
mandat: deniq; prudentia patris anima legiti-
mæ educationis liberū meritò habetur. Pa-
tres enim intelligunt, quousq; rectè ipsi habiti
sint, in quibus neglecti, exempla omne genus
educationis habent in memoria, cum primis
quod ad filios: quos esse columnas gentis suæ
volunt, & futuros sperant. Et usus rerum & ex-
empla docuerant MARTINVM, non armis
solū, sed litteris etiam excolendos nobili lo-
co natos: quorum partes forent, non solū fer-
ro, sed consilio quoq; laborantes patriæ res fi-
deliter subleuare. Id olim vulgo minus cogni-
tum, nec ferè vsurpatum, nisi ad sacerdotia ad-
spirantibus, (Namq; in ijs extitisse plures sapi-
entissimos viros nemo nisi imperitus historiæ
negat, aut inuidus) deprehensum fuit maio-
rum sæculo, & vsurpatum cum ab alijs, tum ab
accolis maris Baltici, bono, vt ego iudico, ipso-
rū fato: hodiè tantū boni per vniuersam Germa-
niam, & intelligitur, nec vllò ferè loco negligi-
tur: quo nomine communi patriæ nos gratulari
par

par est. Quamdiu enim hoc erit, si non plus ac-
quiretur felicitatis, minus intromittetur cala-
mitatis: cuius qui aliquos impetus prudentia
retundit, nã ille boni ciuis nomen magno suo
merito egregiè tuetur. Nec dubito, quin etiam
fratrum, Henrici Antonij & Ascanij exemplo
fuerit excitatus: ASCANII oratione confir-
matus: quem iterum vt præstantem virum mi-
hiq; amicum honoris caussa nomino. Dabat
autem ipse olim operam eximio quoq; I. Cto
Laurentio Carcouio, amico & collegæ meo, in
ac. ad Varnum Megapolitana, cùm priuatim à
iuuene doctissimo Henrico Camerario in libe-
ralibus disciplinis erudiretur: hodiè in primis
Canonicis cathedralium ecclesiarum Hildes-
heimensis & Mindensis, vir grauis, & prudens,
& integer, omnium ingenuarum disciplinarum
amans, sed potissimum historiæ, vniuersæ qui-
dem, patriæ tamen cum primis: beneficus in mi-
seros, auctor ingenijs ad colenda doctrinæ stu-
dia, adiutor etiam in re pulcherrima, tùm con-
sulendo, tùm largiendo. Hæc de eo ex multis:
nec soleo esse audax in præconijs, quæ ad quos
referuntur, audituros & lecturos suspicer: &
ille,

ille, alienus ab arrogantia, me hic quoq; parcio-
rem esse iubeat, quæ viri modestia ipsius vir-
tutis elogium aliud est. Nihil enim laudabili-
us, quàm & alienam laudem repudiare, & suam
vix agnoscere. Qui enim ita affectus sit, in o-
mnibus vitæ actionibus, nihil nisi virtutem per
se ipsam spectare, non iniuria existimetur. E-
iusdem verò etiam animi est, quòd veterem no-
titiam, etiamsi quotidianus inter nos vsus non
intercesserat, æquè conseruârat, atq; ego fece-
ram, qui ipsum, amicis meis, quàm mihi fami-
liariorem, ob modestiam & diligentiam in lit-
teris, quarum hæc nisi illa nitatur, durare diu
non potest, præ æqualibus magni faciebam. Fu-
it verò etiam annis superioribus vtriq; renouan-
dæ veteris nostræ notitiæ, non multum ab ami-
citiâ, cuius iura coluisse videremur, digredien-
tis, occasio. Quare etiam commodum confi-
lium mihi cepisse videbar, (liceat enim mihi
hic attingere, quod infra narrabitur plenius) qui
hunc tristem casum potius ad ASCANIVM,
quàm ad parentes, ne tam repentino nuntio to-
ti percellerentur, perscripserim: fratrem MAR-
TINVM ipse consolabitur, (nam & fortes viri

D

in

in acie *παρρησιῶς* desiderant) sed omni cura in summo mœrore iacentem matrem. Recto autem vsus consilio pater domi suæ honesto viro filiolum GVLIELMVM præceptis pietatis, bonis moribus, & primis litterarum elementis erudiendum dedit. Cum emicaret ingenium, & puer aliquâ progressus videretur, pater rectè ratus, filium inter æquales aliquot, & facilius & magis profecturum, misit Hannoueram, præclaram urbem ad Lainum fluuium. Ibi namque ciues omnia facere sciebat, quæ ad iuuentutis suæ educationem conducere arbitrarentur: quo nomine laudem promerentur egregiam. Videas mihi hic adolescentuli ingenium, qui eo loco mathemata cæpit colere & astronomiam: quod, multæ sunt causæ, quamobrem valdè probem. Prima namq; ætas illis studijs acuenda erat, & in ijsdem nonnihil temporis exercenda, quæ qui id ætatis non attingunt, plærūq; postea negligunt. Hoc igitur est, quod valdè probem. Eodem loco Latini sermonis principia confirmarat, quem satis commodè perceperat, vt testantur litteræ, quas domo ad me dedit, quum proximè huc venire litterarum gratia

gratia constituerat. Hoc ego non minus probo: nec affirmare dubito, præceptores de prima ætate non rectius mereri, quàm si vtriusq; linguæ scriptores ita interpretentur, vt faciebant veteres, qui nobis præiuerunt ad intelligenda scripta Græcorum & Latinorum: quos secuti fuere & æquauere nostra ætate multi, in quibus prælucent, Scaliger, Manutius, Lambinus, Turnebus, similes. Hunc etiam terminum statuo ludorum puerilium, nec multò vltèrius promovendum. Nam qui nouam rationem excogitarunt, eamq; vt ipsi gloriantur, non minus subtilem, quàm breuem, dum quædam pueris obtrudunt, de quibus nec arator, nec remex, nec anicula dubitet; eos nemo miratur, nisi qui fascinis verborum, nulla re subiecta, multa geri credit, quæ ne moueantur quidem: nec longam esse viam oportet, quæ præcipitat in inscitiam. Nec enim maiorem inscitiam reperias, quàm sit temerè suscepta opinio sapientiæ, quæ se confirmat priscis sapientibus maledicendi & benè constitutas academias calumniandi consuetudine. Neq; hoc nouum est, vt qui laude ipsi vacant, laudatorum nomina suggillent: de

quo genere emendando spem ego nullam ha-
beo. Nec enim qui sic sunt, veritatem, sed no-
men quærunt: quod quàm facilè apud multitu-
dinem inueniunt, ita facilè euanescit. Cæterùm
ne vllam in partem puer negligeretur, totidē an-
nos domesticum pædagogum Hannoueræ alu-
it, natum in vicinia, de probitate & fide cog-
nitum. Nondum attigerat annum duodeuige-
simum GVLIELMVS, cum è consuetudi-
ne puerorum eximendus videretur, qui præfer-
tim ex moribus & statura, quàm esset, adulti-
or crederetur: nec prius constituit pater, quò fi-
lium mitteret, quàm ei magistrum inuenisset,
virum honestum, grauem, vitæ peritum, & eru-
ditum non vulgariter. Præsto fortè erat ex ac.
Iulia amicus, qui laudaret ex familiaribus G E-
ORGIVM CNOBLOCHVM, honesto
loco natum, in quo neq; cætera desiderares:
nomen familiæ patruus illustrauerat, IOAN-
NES CNOBLOCHVS, vnus clarissimi
Germaniæ poëtarum, Petri Lotichij II. famili-
arium: Cnoblochus ille, cum in Italia quoque
didicisset ex optimis medicis, summo honore
artis medicæ condecoratus, in patriam reuer-
sus,

sus, adeoque venientem Francofurtum ipse a-
dolescens vidi: ibi deinceps, quoad vixit, cum
laude medicinam fecit, & in academia primo
loco ad annos quadraginta docuit. Eius con-
silio & exemplo inflammatus fratris filius, non
segnem posuit operam in studijs humanitatis,
respectu ad ius ciuile habito, cui se quoq; de-
derat. Visum parentibus fuit, vt Lipsiam du-
ceret HEIMBRGIVM, vnaque duos fratres
IVSTVM ANDREAM & ERICVM
GVALTHVSIOS, æquales & à pueris edu-
catos vnâ. Præferimus Saxones vicinis acade-
mijs Lipsiam: neq; nos perperam sentire cen-
seo. Nam, quod primum dixeris, fuit ibi ab
initio domicilium veteris philosophiæ: nec ve-
rò illi academiæ commendationis saltem, sed
ornamenti etiam plurimum attulit, magnus il-
le, æui sui Germaniæ in disciplinis humaniori-
bus eximium decus, CAMERARIVS: in vr-
be autem sunt viarum amplitudo: ædificiorum
splendor: populi sermo purus, vt vsquam, & cum
studio nitidus: mores honesti, & cum singula-
ri diligentia elegantes, vt in eundem locum plu-
ra confluxisse videantur, quæ pulcra vno nomi-

ne, cuius magna vis est, appellabimus. Itaq;
audiui, qui his de caussis Lipsiam cum prima
vrbe Ethruriæ compararent, in quibus erat,
G V A L T H V S I O R V M patruus, A N -
D R E A S P A V L L I V S, vir magnus & cla-
rus, & regibus charus æquè atq; notus, qui VII-
viri Saxonici A V G V S T I, amplissimis legati-
onibus cum laude maxima fungebatur, dum
viueret. Illi autem adolescentes, si fortè initio
ob viciniam nobiscum esse maluissent; non si-
nebat id sæua quædam tempestas. Infestabat
enim eo tempore pestis hoc nostrum oppidum:
neq; non postea quotannis aliquid eiusdem si-
milisue mali, ad autumnum maximè, quasi fa-
to aliquo, huc remigrabat: at nunc sunt boni-
tate Dei, tranquilliora plæraq;, sed vt humana.
Serenitatem autē, quæ tum Lipsiæ adhuc erat,
obscurabat item ex interuallo pestilentiaæ tætra
nubes: quæ quoq; plures prouincias Germaniæ
hinc inde paullatim obducebat. Hoc incom-
modum, immò prægraue malum senserunt
non solùm mercatores & vniuersi patresfami-
lias, sed studiosa quoq; iuuentus. Dissipati e-
nim quasiq; ex vno littore reiecti in aliud, cer-
tum

tum cursum tenere, & ad quem quisq; sibi designasset portum velis ingenij contendere minimè potuerunt. Neq; nullos ex ordine nostro penitus obruerunt ijdem fluctus: qui enatarunt, iacturam tamen fecere rerum pretiosissimarum: vnde factum fuit, vt aliqui tempore exclusi, aut litteris nuntium remiserint, aut ex hac negotiatione speratum quæstum domum non retulerint. Etiam hi adolescentes nobiles de vita potius, quàm de litteris cogitare; necesse habuerunt: ac fuit hæc cura grauior præceptorum, quàm erat institutionis. Cum igitur nec Lipsiæ esse, nec regredi satis tutum videretur; accinxere se aliquot mensium peregrinationi: nec id parentes improbabant, quamuis grauior sumptus fieret, & quædam profusio pecuniæ necessaria. Erat illis institutum iter nec inane, nec infructuosum, si animaduertent, (aduertisse autem sedulo, cognouimus,) & memorabile, etsi non adeo longinquum. Videre Lusatiam, vbi & aliquandiu substitere: & est Silesia, quæ perlustretur ob oppidorum frequentiam & elegantiam: vt vrbes alias relinquam, Vratislavia, nullâ Germanicarum esse cre-

creditur inferior: quin eam φιλοθεάμονες cum pri-
mis Italicis comparant: quod solebat de patria
prædicare imperatorum archiater Crato. Nam
siue ædificiorum publicorum priuatorumque
pulchritudinem, siue ordines ciuium, siue tam
singulorum, quàm vrbis diuitias spectes, siue
consideres propugnacula, siue aduertas in ho-
minum vitam atq; mores, siue in iudicia atque
formam reip.; in vnoquoq; horum nihil inue-
nies vulgare: sed præstantium virorum copia
in omni genere, præsertim in liberalibus disci-
plinis cætera superat omnia. Quod nobilis il-
le comitatus facilè animaduertit: singula quo-
que & illa & reliqua itineris memoria digna in
commentarios perpetua diligētia HEIMBVR-
GIVS retulit. Ingressi deinde Bohemiam, recta
Pragam profecti sunt, vbi tunc ipsa esset, & mul-
tis iam annis fuerat, sedes imperatoris R V-
DOLPHI II. Nemo eò frustra venit, qui
mentis oculo, quæ gerantur, contemplari po-
test. Aufert enim secum, quod in vita semper
fit vtile: neq; nihil est innotuisse regię principi-
bus: in cætera tantum plebs conijcit oculos, in
vrbis amplitudinem & formam, in splendorem
aulæ

aulæ & pompas. Inde pergebant Viennam
ad Danubium, magnificam item urbem, alte-
ram imperatoris sedem, vbi sapientissimus im-
perator, MAXIMILIANVS II. plærumq;
nec iniucundè erat, loco amœno & salubri
cœlo. Id propugnaculum Christiani orbis al-
tero iam sæculo est & amplius, aduersus crude-
lissimum orbis vastatorem Turcam, cuius im-
petum ante annos septuaginta, fortiter susti-
nuit & repulit: quò hæctenus etiam ille frustra
inhiat, protegente suos Christi dextera. Pate-
bant hospitibus cætera, notis videlicet de com-
mendatione præstantium amicorum: erat ipsis
aditus ad ipsum urbis præsidem, DAVIDEM
VNGNADIVM, Baronem illustrem, cuius
doctrinæ studia vidi à puero, beneuolentiam in
me hospes longo interuallo pòst expertus: eum
litteræ in virtute ita confirmarunt, vt imperato-
riæ maiestati tum in alijs arduis negotijs, tum in
difficillima legatione Constantinopolitana, tã-
to vsui fuerit, vt inde singularem laudem repor-
tarit. Etsi breuitati studeo, non debeo tamen
præterire, quàm Paulij illius nomen passim hos-
ce iuuenes, commendatiores fecerit. Pulcrum

E

enim



enim est intelligi, qui in luce summa cum laude
vixerint, eorum memoriam non illustrem so-
lùm, sed & beneficam esse in bonos, præsertim
qui eius familiæ & notitiæ agnoscantur. Itaq;
quod difficile erat, tam periculoso tempore in-
gredi Hungariam, ipsi litteris eiusmodi amico-
rum consecuti sunt, vt tutò venerint Posoni-
um, Castellum nouum, Strigonium, Camaram,
Gaurinum, Alteburgum, nec non recupera-
ta loca perlustrarint. In Pannonia quæ sedulò
obseruarant, non solùm cum voluptate, sed o-
mnino cum fructu, tota vita recordaturi vide-
debantur. Neq; enim solùm viderant, quæ non
omni tempore essent obuia, sed audierant quo-
que sermones ipsorum militiæ principum, cum
attentione, quæ est ætatis primùm in orbem
prodeuntium. Dedere porrò operam, ne quid
in reditu omitterent. Cum igitur Dresdam ve-
nissent, alterum ibi mensem commorati, & vi-
dere & didicere multa, quòd omnia ibi ornata
& splendida, quòd aula VIIuiri Saxonici. Trans-
ière & Fribergum, contemplatiq; monumen-
ta inclytorum ducum Saxonix, celeberrimas
etiam & vberrimas Germaniæ fodinas perlu-
stra-

strauere, ita vt in cuniculos ipsi descenderent,
& de omnibus, quæ viderent, gererenturq; ex-
metallicis inquirerent. Hoc enim eruditæ &
laudatæ curiositatis est, ex imis non minus,
quàm ex alijs omnibus, summam potentiam &
sapientiam conditoris & patris omnium perspi-
cere, & hunc ipsum subiectissima perpetuaq;
veneratione adorare. Deniq; Lipsiam, malo
illo pestilenti sopito, reuersi, dum se ad studia
denuò parant, vix salutatis Musis, domum re-
uocantur à parentibus, siue de filiorum salute
erant solliciti, siue res quædam necessaria inci-
derat. Cum verò Cnoblocho in necessario
item negotio in patriam veniendum esset, ne ia-
cerent adolescentum studia, præstò illis fuit vir
grauis, Antonius Maroldus, Thuringus, item
academiæ nostræ alumnus, liberalium artium
magister, qui modo præest Hameliano ludo ad
Visurgim. Sub id tempus comes Schauebur-
gensis, ADOLPHVS consilium capiebat de
filio IULIO, quem ille habebat vnicum, in
acad. Iuliam mittendo, ad vberiore ingenij
cultum capiendum: idem probabat, siue potius
anxio studio agebat mater ELISABETHA, du-



cis IVLII F. Pia enim princeps, & ad modestiam
omniareferens, detestata omnē fastum, & quo-
rumq; maximè fortunatorū luxum & insolentiam,
piè & modestè filium educari optabat.
Agebat idem auia, HEDVIGIS Marchica,
IOACHIMI II. electoris filia, sancta prin-
ceps, quæ à virginali ætate ad hanc matrona-
lem benignitatis & beneficentiæ exempla ede-
re numquam intermisit: quæ reginarum mul-
tò amplissima laus est, multoq; maior, quàm
illius Archedices olim, neq; tamen ipsa falso
laudatæ, quæ cum esset regis filia, regis coniux,
regum soror, regum mater, propterea non fu-
erit insolentior, vt est in Græco epigrammate.
At nostræ principes non solùm vacant illo fa-
miliari fortunatissimis fœminis vitio, sed con-
trà & modestia & sanctimonia plærasque vin-
cunt, humiliiores multò, vel etiam infimæ con-
ditionis, vt non solum asperiora consilia sæpè
mitigent, sed precibus etiam Deum totis pro-
uincijs placent. Non probet autem auuncu-
lus, dux HENRICVS IVLIVS? tantus
cultor & defensor sapientiæ studiorum, quem
Antonini cognomine Musæ censeant? Non
latuit

latuit hoc consilium G V L I E L M I patrem,
semper de filijs sollicitum, & apud Comitem
verbo impetrauit, vt filium G V L I E L M V M
in filij I V L I I familiam adscisceret. Com-
moda erat & optabilis vtriq; hæc vitæ coniun-
ctio. Nam & Heimburgius esset honesto lo-
co, & Comes haberet iuuenem, sui cum primis
obseruantem. Parabantur ad iter omnia: de-
duxit ipsa ad fratrem & ad matrem filium ma-
ter: parata erat hic domus tanto hospiti: dice-
batur propediem adfuturus, qui ante omnes
ornamento esset auitæ academiæ, & ex ea cape-
ret præ alijs fructus ingenij vberes. Recta e-
rant hæc consilia: quis neget? Vt in rebus hu-
manis, ita euenit: incidit apud nos noua cala-
mitas: duobus autumnis superioribus pesti-
lens epidemia nos afflixerat: tertio impetum in
nos fecit dysenteria, cuius etsi nomen non adeo
terribile habebatur, tamen in nos sæuijt multò
atrocius, vt quæ ædiculas intactas pauculas ad-
modum reliquerit: adeoq; erant singuli funesti
dies, vt Comes I V L I V S cum nobili familia
hinc excluderetur: nec tamen recedebat ad pa-
rentes, ne propositum abiēcisse putaretur: &

tenebatur ab auia: interdum uisibat auuncu-
lum, & auunculi filium, principem FRIDER.
VLRICVM, heroicæ expectationis adole-
scentulum. Ad hunc ego cum accerferer, &
Comitem IVLIVM vidi, & GVLIELMVM
Heimburgium: vidi I V L I O nihil alacrius,
nihil humanius, sermone suavi, moribus, vt ex
tanta familia, regijs: audiui de studijs institu-
toque suo differentem Heimburgium, & ille
me audiebat contrà. Cum diceret se cum Co-
mite nobis breui adfuturum, (calamitas enim
tum de loco decesserat) & cum illo totos dies
futurum, hoc addebat se constituisse de iuue-
ne erudito, cuius opera vteretur in interpretan-
dis locis obscurioribus scriptorum, quos quo-
tidie in manibus habere decreerat. In eo ipsum
confirmaui, quòd eo pacto multis consuluis-
sem, iamq; cogitare de docto & sedulo viro cæ-
peram, vt monebat. Ita tum discessimus: ego
gratulari academiæ ob tales tantosq; hospites,
illis ob tam acre optimarum artium atq; disci-
plinarum studium. Adornantur hic interim
omnia: non iam illud aliudue publicum, sed pri-
uatum malum optata sperataq; euertit omnia.
Ipse

Ipse Comes I V L I V S, aureus adolescens,
morbo corripitur inopinato: audiebamus, non
esse sine periculo: nemo tamen id metuebat,
quod euenit. Repentè enim aucto morbo op-
pressus, ingentem luctum auix, matri, patri, at-
tulit, incredibile desiderium reliquit academiæ
Iulix. De Comite I V L I O plus hic verbo-
rum facerem, licet non proprio loco: sed cum
gener meus Theodorus Adamius L.C.tus & apud
nos oratoriæ oratorumq; interpretes, illustri ado-
lescenti publicè parentauerit; actum non agam.
Qui eruditam illam & luculentam orationem
non audierit, nec interea legerit, operæ pretium
facturum aio, si legat. Ex animo corpus re-
latum in patriam, illatum fuit monumento ma-
iorum, cum cæremonijs religiosis & magnifi-
cis, vti solitum est, atq; fieri conuenit in fune-
ribus principum. Deduxit vnâ funus heri, tri-
stis & præ alijs animo perturbatus, G V L I E L-
M V S Heimburgius, ipse sui fati nescius &
securus. Postquam enim paullùm se collegit,
ad libros redijt, & ad academiã, de qua antè
consilium frustrà captum fuerat, sibi potissi-
mum eundū censuit, vbi nihil videretur deside-
ratu-

turus omnium, quæ ad institutum studiorum
cursum facerent: in quo se nequaquam falsum
fuisse, cùm nobiscum esset, profiteri non du-
bitauit. Cogitabat, vt antè, de studiorum cer-
to & idoneo duce siue comite, nec alium ma-
lebat, quàm quo antè vsus fuerat. Cum igitur
de voluntate sua me doceret familiari & eru-
dita epistola; respondi per Matthiam Dorniuel-
lium, tres ducis Saxonici FRANCISCI fili-
os, FRANCISCVM IVLIVM, IV-
LIVM HENRICVM, & ERNE-
STVM LVDOVICVM, nepotes iti-
dem optimæ nostræ principis, quam paucis ver-
bis, sed veris laudibus ornavi supra, eos iam e-
rudiri à Cnoblocho in litteris: quibus eum,
quamuis sibi carum exploratæq; fidei non in-
uideret: Matthiam ita versatum in lectione
veterum & disciplina legum, vt pauci æqua-
lium, de probitate morum & integritate ani-
mi mihi familiaribusq; notum: quem, si vide-
retur, sibi adiungeret. Ex paucorum dierum
consuetudine inter vtrumq; coaluit non vulga-
ris animorum coniunctio: natis ita litteratæ a-
micitiæ principijs, appulerunt in hunc Musarum
rum

rum nobilem portum, post aliquot graues iactationes, & quotquot fuere illi menses, vivere coniunctissime: nec facile sane discordant animis, qui ex animo Musas colunt, quas à concordia nomen adeptas, docent nos, qui vocum origines studiosè rimantur: vnde Pythagoras cum primis auctor erat Crotoniatis, vt ædes Musis dedicarent, coniunctionem animorum ciuibus præcipiens, & prudenter insinuans. Quin res ipsa loquitur, qui veritatem & ex ea progenitas disciplinas non seriò colunt, eos amicitiae, quæ rem ipsam quoq; complectitur, & concordiae diuturnæ compotes numquam fieri. In ipsorum interiora studia etsi curiosè non inquisiui, (cur enim curæ aliquid de ijs susciperem, quos in officio esse viderem?) ea cognoui tamen intimè. Cum enim ad proximum parietem haberent museum, vbi & alij familiares adolescentes nobiles: hos cum inuiserem ferè quotidie, nec ipsos præteribam. Videbam GVLIELMVM alijs atq; alijs studijs occupari, idq; sine cuiusquam reprehensione. Nec enim absq; ordine, aut certo fine non proposito, oberrabat in litteris, vt facere nonnullos videas, qui suauita-

F

te va-



te varietatis illecti, rem omnem amittunt è ma-
nibus. Colebat enim præcipuè πολιτικώτερον: quæ
sunt legum, historiarum, eloquentiæ: & habebat
in manibus bonos scriptores: nec perdebat a-
liquid temporis, quod in pretiosissimis sibi du-
cendum didicerat & sentiebat. Neq; enim e-
am diei partem perire dixeris, si qua præterea
valetudini tribuitur, aut exercitationi corporis.
Tantopere autem abhorrebat ab ignavia, vt
quemuis laborem sibi sumerer potius, in quo
tamen simul ingenio loci aliquid esset, quàm o-
tiaretur, ita prorsus, vt ipsius patrum ANTO-
NIVM fecisse diximus. Qui autem sine ordine
in litteris sunt, etiamsi libris affixi sedeant, ijs
anni tamen absq; vero fructu effluunt: à quo
peruerso modo retraximus sæpè multos: quin
etiam aliquos cùm commodè valere, tùm rectè
discere coëgimus. Nec propriè dictas scien-
tias negligebat, quæ animi intentionem maio-
rem postulant: oblectabat se quoq; botanicis &
chymicis, ita vt modū in sumptu faciendo non
excederet: quæ omnia sunt ingenij φιλοσόφου, si
Socrati credimus, qui in cultore sapientiæ requi-
rebat omnium sapientiæ partium desiderium &
studi-

studiū. Vt verò mores eius, ita & sermo erat honestus: etiam prudens & vrbanes sales cū accipiebat à familiaribus, tū spargebat ipse liberaliter: nusquā migrabat fines modestiæ. Dicat quis, nec dissentiam, in viris demum desiderari munificentiam, quòd minor ætas plærumq; sumptuum rationem minus habet, vt vix parcus aliquis in ijs appareat, sordidus aut auarus nemo, nisi parum humani aut prauī ingenij. Quare hoc nomine GVLIELMVM non prædicabo, sed altero. Nam cum liberalis esset, nihil tamen profunderet; & quando ac quibus largiendum esset, norat. Non negabat stipem petenti egeno, sed in calamitosos vtrò erogabat, & interdū quod certo tempore erogaret, destinabat. Qui sibi ad eum modum in singulis leges ferat, hunc optimæ vitæ eximium cultorem esse, non dubitarit, qui sapere existimetur. Quoniam etiam quisq; talis esse creditur, quales ij sunt, quibus cum viuit, quod poëta Græcus pro argumento habuit, vt ex sodalium moribus de alterius animo facere iudicium iuberet, pro ratione Charondas, vt legem sanciret, qua actionē prauī sodalitij daret; ille non potuit non ab omnibus

credi bonus & integer, cum & iucundè & gra-
uiter, cum lectissimis æqualibus, cum viris omni
genere doctrinæ præstantibus totos dies vixerit:
etiam in principum reip. & ducum militiæ con-
suetudinem venerit, nec ortus sui, nec instituti
vmquam oblitus. Quicquid autem, quamuis
dextrè & prudenter ageret, numquam ipse ta-
men sibi satisfaciebat. Itaq; perfectius semper
aliquid tam in studijs, quàm in vitæ functioni-
bus meditabatur. In vtroq; autem genere, quos
non assequeretur, eos & suspiciebat & æmula-
batur. Quibus autem modis amplificari ani-
mi dotes, vel ipse videret, vel ab alijs cognosce-
ret, cunctos etiam sibi experiundos iudicabat.
In ijs exemplo plurium peregrinationem ha-
bebat, & diuersarum linguarum cognitionem,
nec tamen quarumlibet, sed gentium, quas con-
staret omnium esse sub sole cultissimas, & qui-
buscum esset imperatori & Germanis plurimū
commercij. Priorem rationem non tam confi-
lio, quàm casu illo commonefaciente, prius ab
ipso susceptam, antè meminimus. Memoria eo-
rum, quæ cum voluptate viderat & audierat, i-
terum accendebat iucundæ laudatæq; rei desi-
deri-


derium. Id vt rectius expleret, nec tantum Italiae, Galliae, Britanniae, Belgij, campos, montes, maria, lacus, stagna, arces, vicos & vrbes, & homines deniq; ipsos videret cum multis, sed ex hominibus aliquid acciperet, quo vteretur fruereturq; perpetuo in vita, conferre cum illis gentibus sermonem gestiebat, vt cum popularibus. Hinc erat in ipso, quam dixi, linguarum sitis: & acceperat, vt patruus LVDOLPHVS solius Gallicae praesidio, & prudentior euasisset, & principibus praesui ordinis plerisque gratior fuisset, & in vita felicior. Quid enim dissimulem, quod vnusquisq; etiam vulgo expetit? Confirmabatur, quod ex familiaribus, qui domum meam frequentant, eiusmodi facultate audiuit praeditos, & vidit, inter nos apud me legi quotidie, non solum quae in theatro quem oblectent, sed & historias, & quae vitam & mores erudiant. Legebamus enim aureolum libellum, quem scriptor Galatei nomine apparere voluit, in quo bonae veteris doctrinae multum est, & elocutio nihil plebeium redolens, lectione & consideratione dignum, & paucis in ipsa Italia intellectum. Verum aliud iter, & cuius semi-


ta ad cœlestem patriam ducit, destinatum iam
erat HEIMBURGIO. Cum autem & ta-
lis esset, & maiora animo agitaret, quid de eo
non affirmares? cum etiam in prima ætate (vi-
gesimum namq; secundum annum media æsta-
te excesserat) expectatio magni æstimeretur. Cū
hoc vitæ spatium curreret, ipse bona & firma
valetudine, vt nemo non asseueraret: ecce do-
mum meam nunciatur è proxima, GVLIEL-
MVM, dolere ex capite, nec id leuiter, in spina
dorsi lacerari, æstuarè toto corpore, insolita siti
torqueri: alius aliud conijcere, alius febrem, ali-
us grauius aliquid putare: habita fuit ægri ratio
statim, & medicus præsto fuit è vestigio: is *confu-*
matum genus, quas variolas nominant, præfagie-
bat, quibus passim ab autumno nihil fuit vulga-
tius: apparentibus maculis, idem de malignita-
te ad nos conquerens, perrexit omnia diligenter
& sollicitè facere: nec solus rem dubiæ alexæ ad-
ministrabat. Ea singula neq; meæ facultatis
est explicare, nec cuiquam libeat cognoscere.
Erupere tandem dictæ variolæ: An hîc reticebo,
quod singularis fati instar videatur? Namq; ijs-
dem prorsus diebus minor natu GVLIELMI
frater,

frater, & duæ sorores paruulæ, eodem genere morbi decum-
bebant, nec tanto tamen periculo expositæ: quo factum fuit,
vt nuntio de morbo filij accepto, ipsum vti omnino consti-
tuerat, visere nequirit mater: etsi diebus interiectis pau-
culis iter ingressa, ex obuio homine, altero tristissimo nuntio
accepto, ad fratrem mariti, ac deinceps domum lacrymans
& moerens regressa est. Illæ, inquam, variolæ erupere tan-
ta copia, vt ijs totum corpus obsitum appareret: ibi tum fa-
miliares plusculum animi concipiebamus: sed medici ex a-
lijs signis, de die in diem nouis oborientibus, hunc euentum
prospiciebant. Ipse cum vitam in dubio versari sentiret;
confestim in vniuersum omnia, quorum sibi vsum deinceps
nullum fore intelligeret, pro nihilo habuit, seq; ab ijs toto
animo abdicauit: id quod viro non accidit difficillimum, qui
nunquam quidquam eiusmodi in primis perpetuisq;, ac po-
tius pro nihilo cuncta, si vsum dempseris, habuerit. O il-
lum infelicem & miserum, qui voluptates, qui diuitias, qui
honores, qui imperia, & alia, quæ vel oculos nostros præ-
stringunt, vel sensum aliquem illecebris occupant, in soli-
dis bonis recenset, ac non præ alteris, quæ animi sunt,
præq; spe diuitiarum cœlestium habet in vilissimis: contra
felicem & beatum, qui quæ plæriq; iucunda credunt & am-
pla, de quibus etiam dimicare cum perpetuo vitæ discrimi-
ne non dubitent, ijs vel præteritis, vel modicè vsurpatis, bo-
na animi quærit, & ex huius dubiæ caducæque vitæ
fruitione ad certam & sempiternam respicit. Ab vltima
autem pueritia G V L I E L M V S hæc didicerat, his assense-
rat, his studuerat, ita vt, si alijs afficeretur, quæ est profectò
deploranda in cunctis mortalibus labe, non tamen conti-
nuò manus daret, sed præliando palmam obtineret. Quis
enim ignorat, aut quis non experitur, non esse in animi sui
facultatibus constantiam & quietem, sed dissidium perpetu-
um,

um, & in ipsis etiam inducijs luctam? nec est, quod aliud spe-
remus, quamdiu mortalis militiae sagum gerimus, donec to-
gam pacis aeternae sumamus. Sed haec sublimia sunt, nec
oratione cuiusquam explicata: reuelata autem ex altissimis
caeli penetralibus, nec demonstratione vlla, sed vnus fidei
subiectione comprehensibilia, non temere tamen arreptae,
sed accensae vi diuini Spiritus: à quo illustratis, migratio ex
hisce terris, interitus non est, sed ad primam patriam, imò
ad ipsum patrem vniuersi reditus: de quibus mysterijs, cum
nemo ne cogitare quidem, vt par est, queat, plura explicare
meis verbis ne conari quidem debeo: Deum precor, vt haec
in mentibus nostris fixa haereant, ac mihi quoq; à meta non
longinquo praeluceant ad eandem salutem, cuius GVLIEL-
MVM HEIMBURGIVM, cum animam exhalaret, fa-
ctum esse compotem, confidimus. Etenim ad solum ser-
uatorem generis mortalium respiciebat, ab ipsa salute salu-
tem sperans, cum non solum consolationem ex ore ministri
ecclesiae attentissime acciperet, sed se promissionibus diui-
nis assentiri, & verbis & nutu testatum faceret. Superua-
caneum iudico exponere, vt patruus ASCANIVS GV-
LIELMO funus fecerit, vt exuuiae defuncti in monumen-
tum depositae sint, vt ipse pro concione laudatus, vt omnis
academia & multi simul de ciuibus solemnitati funebri fre-
quentes interfuerint, testati praeter pietatem in Deum, bene-
uolentiam erga defunctum & obseruantiam erga familiam
HEIMBURGIORVM. Quae nostra studia moestissi-
mis parentibus grata accidisse, dubium non est: credibile
etiam, aliquid praeter caetera attulisse solatij. Namq; suos à
bonis diligi & ornari, veris praesertim laudibus, nemo aegre
fert, nec potest non dolorem quamuis grauem, vel minu-
ere vel obscurare gratiae rei cogitatio. X. Kal.

Dec. cio. m. ci.







ORATIO FVNEBRIS

VVILHELMO
AB HEIMBURG,

scripta ab
JOANNE CASELIO.



HELMAESTADII,
Ex officina typographica Iacobi Lucij.
ANNO MD. CII. CI.

